



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Angeli boni.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

Angeli boni.

Reginam suam insequuntur pulcherrimi illi *administratorii spiritus, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates,* ad Coloss. 1. Cherubim, Seraphim, Archangeli, Angeli, quibus Deus mandavit de te. Luc. 4. His debitâ cum reverentiâ in spiritu salutatis, dic. *Benedicite Angeli Domini Domino. Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.* Pl. 148. *Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.* Pl. 102. Calv. l. 1. Instit. c. 3. Omne id, quod Dyonisius in sua cœlesti Hierarchia scribit, irridet, & fabulosum vocat, & si S. Patrem cœvum Apostolis Doctorem & Martyrem sanctum calumniis appetit, quid cæteri ab ipso expectandum habebunt? sed nunquid Scriptura in textibus jam allatis diversitatem inter Angelorum gradus facit? & cum adæquata & sola sit fidei juxta ipsum regula S. Script. unde ex eâ solâ probat, S. Dyonisium fabulas hac in parte protrussisse? porro ex sensu PP. & DD. communiore *Angelorum* proprium est sibi commissos custodire, *Archangelorum* maxima quæque mysteria denuntiare, *Principatum* regna & eorum administrationem disponere, *Potestatum* Diaboli conatus elidere, *Virtutum* miraculis præsidere, *Dominationum* Reges & Principes fidelium maximè invincibiles reddere, *Thronorum* solium & sedem Dei esse,
Che-

Cherubinorum scientiâ redundare. *Seraphinorum* face caritatis in Deum ardere. Prima autem divisio videtur esse facienda in Angelos tanquam inferioris, & Archangelos tanquam ordinis superioris. Porro Angeli in infernum præcipitati vocantur

Dæmones.

ET hi varia in S. Script. habent nomina. Tob. 3. *Dæmonium nomine Asmodaus occiderat septem viros Saræ, mox ut ingressi fuissent ad eam.* Derivatur nomen hoc ab *Esch*, id est, *Ignis & Meda* à regno *Mediæ*, quia toto illo regno ignem libidinis excitabat, & sic Dæmones nomen sortiuntur in hoc mundo vel à locis, in quibus grassantur (& hinc vocantur *Ignis, Aerii, Terrei, Aquei, Septentrionales, Australes, &c. Tenebriones, Cacodæmones seu Sepulchrales*) vel à vitiis, ad quæ potissimum impellunt, & tales vocantur *Spiritus superbiæ, acediæ, iræ, fornicationis, gastrimargiæ, &c.* Porro ad meliorem scripturæ intelligentiam quædam hîc explicanda videntur, quæ in Script. Sacrà de Angelis tum bonis tum malis recensentur.

Quæres imò. An unus Angelus bonus opponat se alteri, & quis sit ille Princeps regni *Perfarum*, qui Dan. 10. restitit *Gabrieli* viginti & uno diebus. R. Sicut ex infimo ordine Angelorum Præsides & Custodes à Deo assignati sunt singulis hominibus, ita singulis provinciis & regnis ex tertio ordine nempe *Principatum,*